



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 53. De Judicio Westphaliæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

illis consensuros. Quapropter Basileen-^{Sæcul. XV.}
sum Deputati, cum in principali Lega- ^{A.C. 1439.}
tionis suæ negotio nihil omnino obti-
nere possent, re infecta discedere coge-
bantur. His abeuntibus duo, quos Pon-
tificis Legati ablegarunt, Moguntiam
adveniebant, atque, ut Principes suam
de recipiendis Synodi decretis senten-
tiam revocarent, omni opera ac studio
connitebantur: sed optati successus spe
frustrati, de Principum favore, quo Basi-
leenses non sine Pontificiæ auctoritatis
præjudicio prosequerentur, vehementer
conquesti sunt, palam profitentes, talia,
inaudito summo Pontifice, attentari non
debuisse.

§. LIII.

De Judicio Westphaliæ.

Sub idem tempus Albertus Imperator
datis ad Basileenses literis eos horta- ^{Acta Patriæ:}
batur, ut causam quamdam profanam ad ^{l. cit. p. 1566}
Judicium Westphaliæ, quod *secretum* ap-
pellabant, remitterent. Hoc tribunal a
Carolo Magno ideo institutum tradunt,
ut Saxones tunc gentem adhuc barba-
ram ac ferocem, necnon cædibus, latro-
ciniis, crebrisque seditionibus assuetam
in officio contineret. Progressu tempo-
ris Imperatores istud iudicium tanti fe-
cerunt, ut ab illo provocantes ferme nun-
quam

H h 3

Sæcul. XV.
A. C. 1439.

quam audierint. In eo tamen tribunali etiam non vocati damnabantur, quo rito vero id contigerit, haud ingratum erit percipere. Igitur cum aliquis de crimine quopiam ad iudicium deferretur, in medio aulae, ubi congregati sedebant Iudices, quaedam extendebatur chorda, quam illi, qui reum censebant necandum, extrema digiti parte tangebant, & ut hoc modo capitis damnatus id, quod gestum, nesciret, altum apud omnes silentium servabatur. Si vero hic uni ex hisce Iudicibus, qui incogniti erant, obviam occurreret, absque alia juris forma extrema supplicio multandus decernebatur, & a præfato Iudice virga leviter percutiebatur, adjectis his verbis: *Et alibi ita lenus comeditur panis, uti hic.* His peractis ubicunque damnatus reperiebatur impune suspendi poterat. Illi, qui huius Iudicio præerant, *Scabini* dicebantur, & jurisdictionem suam per universam Germaniam exercebant, nec unquam repositus fuit, qui Iudiciorum arcana revelasset. Verum hoc iudicium paulatim in corruptelas, & injustas vexationes degeneravit, cum interdum homines obcuris natalibus orti ad illud admitterentur, & negotia quoque civilia tractare auderent, quibus tamen solum de criminalibus permissa erat potestas. Ex his igitur Iudicibus cum abusibus contigit, ut Fridericus III.

Impe

Sæcul. XV.
A.C. 1439.

Imperator Alberti Successor in comitiis
 Francofordiensibus anno Domini millesi-
 mo quadringentesimo quadragesimo se-
 cundo statueret, ut hæc *Judicia secreta*
 non nisi honestis, probis, atque peritis
 hominibus committerentur, qui haud a-
 liter in judicando procederent, quam jux-
 ta antiquam Caroli magni sanctionem.

§. LIV.

*Basileensium attentata in Eugenium
 Papam.*

Dum interea Moguntiaë præfati cætus
 agebantur, inter Patres Basileæ con-
 gregatos suborta est quæstio: utrum Eu-
 genius Papa ex eo, quod Synodo non o-
 bediret, & Ecclesiæ decreta contemne-
 ret, hæreticus declarari posset. Varia
 erat suffragantium opinio, aliis id omni-
 no negantibus, affirmantibus aliis, quos
 inter nonnulli Eugenium hæreticum, alii
 etiam relapsum dicebant. Tandem ve-
 ro multis ultro citroque disputatis circa
 medium mensis Aprilis octo conclusiones
 Theologicæ propositæ sunt, quæ his ver-
 bis conceptæ erant.

H h 4

§. LV.